

Partes
corporis
duplices.

Cum autem partes corporis non omnes ejusdem generis sint, non omnium etiam eadem est naturalis constitutio. Dividuntur a. membra in ὁμοιομερῆ & ἀνομοιομερῆ, quod vulgò reddunt in partes similes & dissimiles. Quas appellationes quidem reprehendit J. C. Scaliger, in lib. 1. de plantis, ea de causa, quod prædicatio denominativi non possit attribui primitivo ejus; sed accidentibus tantum, quæ in illa substantia insunt: existimatq; si quis omnino mutuum responsum relationis, quam tamen in primaria voce inesse censet, curiosius explere voluerit, ut sit mutuus responsum relationis, vocandas consimiles & condissimiles. Quas appellationes quidam ex iis, quos vulgò barbaros vocant, usurparunt. Ita enim Nicolaus Florentinus, tract. 1. part. 1. c. 30. appellat membra alia consimilia, alia composita & officilia. Verum quia civitate Medica ferè donata sint ista vocabula, nos etiã ea ut usu trita retineamus. Et quocunq; modo appellentur, utrisq; sua naturalis constitutio obtigit. Similares partes, quæ simplicissima sensui corporis nostri elementa sunt, dicuntur, quarum universæ particulæ eandem invicem retinent formam, ut definit Galenus, 1. de element. cap. 8. sive ut est 8. de plac. Hippoc. & Platon. cap. 4. quarum particulæ tum inter se, tum toti sunt similes: ut si os in multas partes dividatur, unaquæq; pars eandem formam seu essentiã retinebit.

Similares
partes.

Similares partes, cum quatenus similes sunt, primo ex elementis seu sanguine componantur, in quatuor qualitatum primarum legitima temperie earum constitutionem, accidentalem nimirum, & proinde sanitatem primò consistere, & ad similiarium sanitatem justam earum temperiem requiri, per quam ad naturales actiones obeundas aptæ sunt, vulgò docetur: neq; id falsè.

Verum cum, ut rectè J. C. Scal. exerc. 218. sect. 8. ait, omnia ad manifestas Qualitates reducere velle, summa impudentia sit; atq; corpora nostra non simpliciter, ut alia mista, ex elementis constant, sed & calore quodam vitali, spiritu vivifico, humidoque primigenio prædita sint, & formam suam atq; animam obtineant, à quibus multæ nobiles qualitates fluunt; ut tum ex aliis videre est, tum ex συμπαθεία & ἀντιπαθεία, quæ corpus nostrum & ejus partes cum aliis corporibus naturalibus habent: non solum quatuor primarum qualitatum συμμετρία similiarium partium sanitatem absolvi, sed, & nobiliores, & occultiores alias Qualitates ad eã requiri, omnino credendum est.

Licet verò & alia in partibus similiaribus reperiantur, ut certa figura, magnitudo, & similia: tamen illis hæc non competunt, quatenus similes sunt, sed quatenus organica. Quatenus enim similes sunt, nullam peculiarem figuram requirunt, sed satis est, si suam temperiẽ, cæterasq; qualitates, quibus suas

Similari-
um cõ-
stitutio
in quo
consistat.

Occultas
etiam
qualitates,
præter pri-
mas, ad
constitutionem
similari-
um re-
quiruntur.

suas